

*Vergil's Aeneid I.325-342*

Sic Venus; et Veneris contrā sic filius ōrsus:

325

“Nūlla tuārum audīta mihī neque vīsa sorōrum—

ō—quam tē memorem, virgō? Namque haud tibi voltus

mortālis, nec vōx hominem sonat: ō dea certē—

an Phoebī soror? An Nymphārum sanguinis ūna?—

sīs fēlix, nostrumque levēs, quaecumque, labōrem,

330

et, quō sub caelō tandem, quibus orbis in ōrīs

iactēmur, doceās. Ignārī hominumque locōrumque

errāmus, ventō hūc vāstīs et flūctibus āctī.

Multa tibi ante ārās nostrā cadet hostia dextrā.”

Tum Venus: “Haud equidem tālī mē dignor honōre;

335

virginibus Tyriīs mōs est gestāre pharetram,

purpureōque altē sūrās vincīre coturnō.

Pūnica rēgna vidēs, Tyriōs et Agēnoris urbem;

sed finēs Libycī, genus intractābile bellō.

Imperium Dīdō Tyriā regit urbe profecta,

340

germānum fugiēns. Longa est iniūria, longae

ambāgēs; sed summa sequar fastīgia rērum.”